

mutatio generica, quæ non habeat determinatam speciem. Omnis autem privativa mutatio et desitio rei, vel est in ipsum purum nihil, vel in aliquid. Si convertitur in nihil, est annihilatio; si in aliquid, assignetur ille terminus in quem desinat panis in tali casu, si quidem nulla res est in quam convertitur, nec aliqua substantia ibi succedit. Quare sola separatio accidentium non destruit substantiam, nisi habeat adjunctam aliam actionem substantialem, vel generativam vel conversivam totius substantiæ: sicut in generatione destructio dispositionum non destruit substantiam, nisi quia habet adjunctam introductionem aliarum dispositionum, et productionem formæ substantialis; quare ratio S. Thomæ sola est efficax.

ARTICULUS IV.

Quid sit præsentia corporis Christi in hoc sacramento, et quomodo cognoscatur.

I. Certum est de fide corpus Domini esse præsens realiter in hoc sacramento sub speciebus consecratis, tali modo, quod in qualibet parte specierum sit totus Christus, ut constat ex definitione Tridentini sess. XIII, cap. III, et canone III, ubi dicitur: « Si quis negaverit in venerabili sacramento eucharistiæ sub utraque specie, et sub singulis cujuscumque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit. » Ex qua definitione constat corpus Christi Domini ita esse præsens in hoc sacramento, quod non sit modo locali, et quantitativo, sicut corpus circumscriptum loco, quod est totum in toto, et pars in parte, sed ad modum rei spiritualis, quæ cum careat par-

tibus, indivisibiliter est tota in qualibet parte: sic corpus Christi ita est in toto pane, quod in quælibet illius parte, vel puncto, ubi posset esse substantia panis si non consecraretur, manet tota substantia corporis Christi, et non solum pars illius, si quidem fracta hostia, et separatione facta, in qualibet particula totus Christus sumitur, non pars illius tantum.

II. Quare præsentia ista corpus Christi duas habet conditiones; unam, in qua convenit cum præsentia rei spiritualis; alteram, in qua excedit illam. Convenit in eo quod utraque modo indivisibili facit rem præsentem (scilicet totum in toto, et totum in qualibet parte) excedit autem in eo, quod ubi, seu præsentia rei spiritualis, licet sit indivisibilis, tamen quia oritur a virtute finita et limitata, ita coarctatur et definitur ad certam distantiam et locum, quod ultra illam spheram non est; et ideo vocatur ubi definitivum. At vero præsentia corporis Christi oritur ex virtute infinita Dei convertentis panem in ipsum, unde ita est in uno loco et sacramento, quod non definitur et limitatur, ut non sit in alio, et ideo non est ubi definitivum, sicut præsentia Angeli, licet sit modo indivisibili; sed vocatur præsentia sacramentalis, quia ita est indivisibiliter et totaliter in qualibet hostia, et in qualibet parte illius, quod etiam in aliis hostiis et locis esse potest, si ibi consecratur panis.

III. Licet autem, non sit difficile intelligere, quod aliqua substantia corporea, remota quantitate indivisibilis maneat formaliter, quia non habet formam extensionis et divisibilitatis, quæ est quantitas, sed solum est radicaliter divisibilis, posset tamen aliquis quærere, an maneat quantitas in corpore Christi, supposito quod est præsens modo indivi-

sibili, et unde constet quantitatem manere sine suo proprio modo divisibili, sed ad modum substantiæ.

IV. Respondetur constare quod omnia accidentia absoluta Christi, quæ habet in cælo, et pertinent ad designationem et individuitatem talis corporis (quorum præcipue est quantitas) reperiuntur in hoc sacramento, idque deducitur ex principiis fidei certa ratione, ita ut oppositum aut esset erroneum, aut temerarium. Ratio est, quia de fide constat, et ex verbis Christi, hic poni corpus suum, esseque veram carnem et sanguinem illius: illud autem est corpus suum, quod habet ipse in cælo unitum tali formæ; hæc autem unio formæ ad materiam requirit dispositiones et accidentia, sine quibus non fit: ergo necesse est quod quantitas et accidentia Christi remaneant in hoc sacramento, nisi ponamus speciale miraculum, quo Deus de potentia sua conservat unionem formæ ad materiam sine ulla dispositione, quod tamen sine fundamento diceretur, quia est certissima regula in hac materia, nullum esse ponendum miraculum in eucharistia, quod non exigatur ex vi consecrationis; constat autem ex vi consecrationis non exigi quod forma sit in materia sine dispositionibus, quin potius oppositum exigunt illa verba: *Corpus meum*. Est enim corpus Christi quod est organizatum et temperatum, sicut corpus humanum, quod utique sine quantitate et qualitate disponentibus stare non potest.

V. Item vera caro et verus sanguis exigunt diversa temperamenta, quia sanguis est liquidus, caro est densior, et ossa sunt duriora, quod sine accidentibus intelligi non potest, scilicet raritate, densitate, quantitate, organizatione. Dicere autem, quod formaliter non est hic

caro Christi, neque sanguis; sed radicaliter, quia est substantia Christi exigens dispositiones illas carnis et sanguinis, non tamen actu illis affecta, omnino esset erroneum et temerarium, quia contra omnes doctores scholasticos, et contra proprium et per se significatum illius nominis caro et sanguis, quo significatur corpus sic dispositum, et illis accidentibus affectum, quibus caro et sanguis organizantur et distinguuntur. Itaque accidentia ista absoluta entitative sunt in corpore Christi, licet non modo quantitativo, quia iste modus non pertinet ad essentiam ipsam quantitatis, sed ad localem extensionem, quæ est secundarius illius effectus, et potest impediri de potentia absoluta. Accidentia autem relativa in ordine ad locum et situm possunt variari in cælo et in sacramento.

VI. Secundo inquiri potest, an ex vi hujus præsentiae maneat corpus Christi unitum speciebus sacramentalibus, et quæ unio sit illa. Nam quod sit unitum, dubitari non potest, quia ad motum specierum movetur etiam corpus Christi; neque enim quando movetur hostia, remanet corpus Christi extra illam: non posset autem moveri ad motum specierum, nisi esset illis conjunctum, quia nihil movetur ad motum alterius, nisi illi conjunctum sit. Quænam vero sit ista unio, difficile est explicare; neque enim illa accidentia inhærent corpori Christi, cum non sint accidentia ipsius, sed panis; ergo illa unio non est per inhærentiam, qua in accidentibus contineatur corpus Christi, sicut liquor continetur in vase, vel corpus sub veste, quia Christus Dominus non est modo locali et circumscriptivo intra illas species, sed modo indivisibili: ponere autem unionem spiritualement corporis Christi erga illa accidentia, non videtur

habere fundamentum, quia corpus Christi nullum spirituale effectum communicat accidentibus, nec accidentia illi, sicut neque aliquem substantialem effectum, quia solum posset esse sustentatio accidentium, quæ tamen sine subjecto sunt; unio autem ex effectu suo dignoscitur an sit substantialis vel spiritualis; sine aliquo autem effectu spirituali et substantiali non apparet quomodo illa unio dicenda est spiritualis, vel substantialis.

VII. Respondetur ergo, talem unionem, seu conjunctionem non habere similem inter naturales: maxime autem assimilatur illi, qua duo corpora sunt penetrative; vel potius si una substantia denudata quantitate intra aliam quantitativam poneretur. Cum enim quantitas in istis speciebus consecratis se habeat ad modum corporis per se existentis, eo modo judicandum est de corpore aliquo intra illam quantitatem contento, ac de corpore penetrato cum alio, quod quidem uniretur illi, seu conjungeretur taliter, quod ubi esset unum, esset alterum, et moto uno moveretur alterum; et tamen accidentia unius non inhærent in altero, nec unum circumscriptive confineret alterum; sed solum dicitur conjunctum penetrative, quia intra terminos alterius ingreditur, et ipsa penetratione copulatur, nec potest divelli nisi ab eo qui penetravit, vel destructo illo corpore cum quo penetratum est: ad eum modum Christus ex pane conversus, intra terminos illius quantitatis separatæ manet, quasi penetrative se habens cum illa quantitate, et loco panis subrogatus sine inhærentia talium accidentium; sed tamen proprie et in rigore non dicitur penetratus, quia corpus Christi non est modo quantitativo in ordine ad locum, et sic non indiget penetratione ut sit cum altero.

VIII. Et ideo diximus magis proprie se habere, sicut si una substantia sine quantitate intra terminos alterius poneretur: tunc enim solum dicitur penetrari, quia intra terminos illius est; nec tamen tunc quantitas illa inhæret, aut circumscriberet substantiam positam intra se. Sic corpus Christi intra terminos quantitatis separatæ ponitur loco panis, nec inde potest avelli, quia motu locali moveri non potest, et consequenter nec dimoveri; et alias ipsa penetratione, vel conversione intra terminos quantitatis manet applicatum, et consequenter conjunctum; quæ unio seu applicatio dissolvi non potest per motum localem, vel aliam actionem naturalem, quia nulla opponitur illi penetrationi vel positioni intra terminos quantitatis, sed solum potest desinere ibi esse, aut destructis accidentibus, quibus est conjunctum, aut Deo ipso separante. Dicuntur tamen illa accidentia continere corpus Christi, non quia circumdant illud, sicut superficies vasis circumdat liquorem, sed quia intra suos terminos illud habent et continent; sicut contineretur substantia panis si ibi esset, aut aliud corpus penetratum.

IX. Tertio, inquires utrum ista præsentia et unio corporis Christi sub speciebus possit videri aliquo oculo corporeo, saltem glorificato. Respondetur negative; ita quod nec ista præsentia, neque corpus Christi ut affectum illa manet visibile, nec intra sphaeram visibilitatis. Ita S. Thomas hic quæst. LXXVI, art. VII, et communiter ejus discipuli; licet aliqui auctores sentiant miraculose posse videri corpus Christi ut existens sub hoc sacramento; idque concedunt oculis Christi Marsilius, Bonaventura, Scotus, et alii apud Suarez hic disput. LIII, sect. IV. Et videtur favere S. Thomas articulo VII citato ad secundum. Et idem privi-

legium tribuit Beatæ Virgini Alensis IV parte, quæst. XL, membro III, art. VIII, §. II. Nec desunt auctores, qui existimant posse Christum sub præsentia sacramentali videri naturaliter, licet impediatur propter meritum fidei. Et ratio est, quia modus istius præsentia non impedit videri corpus Christi confuse, sed solum distincte secundum singulas partes; absolute tamen potest videri sicut totum quoddam confusum, qualiter si duo corpora penetrantur utrumque videtur confuse.

X. Nihilominus resolutio S. Thomæ certa est, et fundamentum est, quia ille modus præsentia reddit corpus Christi indivisibili modo correspondens ipsis speciebus, ita quod sit totum in toto, et totum in qualibet parte; ergo eodem modo correspondebit ipsi aeri, seu medio per quod fit visio, et ipsis oculis, quibus fit visio (non enim aliter correspondet medio, quam ipsis speciebus.) Talis autem correspondentia non est materialis, neque sensibilis, sed extra omnem modum quantitativum. Quod autem caret modo quantitativo, caret modo sensibili, quia modus sensibilis fundatur super accidentia sensibilia, quorum primum est quantitas modo extenso disposita; si ergo videretur corpus tali modo affectum, videretur modo non sensibili; sed visus essentialiter est potentia sensitiva: ergo objectum ut affectum modo non sensibili est extra specificativum visus, quamdiu manet sub tali modo; sicut remoto modo intelligibili non potest aliquid attingi ab intellectu. Nec obstat, quod illud corpus potest manere lucidum, aut coloratum, quia lux et color non reddunt rem visibilem corporaliter, nisi prout modo corporali et sensibili affectam. Si enim considerentur sine modo sensibili, non sunt objectum visus, sed intellectus, qui etiam intelligit colorem et lucem

alio modo quam sensus, scilicet, abstractendo a modo sensibili (qui utique est modus extensus, et quantitativus) ergo sine illo non videntur ab oculo corporeo.

XI. Ad fundamenta contraria respondetur. Ad fundamentum quidem secundæ sententiæ dicitur, quod confusio et distinctio partium potest dupliciter intelligi: uno modo confusione ejusdem ordinis et lineæ, (scilicet confusione quantitativa) sicut cum plures partes addensantur et confunduntur, vel plures res a longe videntur; et ista confusio videri potest, quia sensibilis et quantitativa est: alio modo confusione extra lineam quantitatis, et ad modum indivisibilem et spiritualementem, sicut si substantia denudetur quantitate, vel modo quantitativo et extenso in ordine ad locum; et talis modus invisibilis est.

XII. Ad fundamentum alterius sententiæ respondetur, implicationem sumi ex dictis, quia illa præsentia, vel corpus sub illo modo sunt extra sphaeram objecti sensibilis; implicat autem potentiam cognoscentem tendere in objectum, quod est extra sphaeram suæ propriæ et adæquatæ specificationis.

XIII. Et hinc etiam solvitur fundamentum Vasquez hic disput. CXCLI, cap. II, qui putat miraculose posse Christum videri in sacramento, quia habet colorem; et alias indivisibilitas non obstat, quia solum est privatio extensionis ad locum, sine qua color videri potest. Sed dicimus colorem cum tali privatione manere invisibilem et insensibilem, quia modus ille indivisibilitatis est proprius rei spiritualis, et ab omni modo sensibili extraneus; et ideo coloratum sub tali modo solum spiritualiter potest attingi, non sensibiliter.

XIV. Adhuc tamen faciunt vim

verba S. Thomæ articulo vii citato ad secundum, ubi dicit: « Quod oculus Christi videt seipsum sub sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub sacramento; nec tamen est simile de alio oculo glorioso, quia etiam oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei oculus gloriosus; » ergo si Christus sub hoc sacramento existens videt seipsum, non est extra sphaeram visibilitatis, et consequenter videri potest a quolibet oculo, saltem per miraculum.

XV. Et confirmatur ex ipso S. Thoma in iv, dist. xi, quæst. 1, art. iv, quæst. 1 ad primum, ubi expresse dicit: « Quod oculus Christi extra species sacramentales existens, non videt seipsum intra species sacramentales existentem, nisi miraculose; et similiter alii oculi gloriosi non vident ipsum hic, nisi forte per miraculum. » Qua auctoritate fundatur Vazquez.

XVI. Respondetur, oculum Christi existentem in sacramento videre seipsum existentem ibi materialiter et specificative, quatenus retinet visionem sui in cælo, non tamen formaliter et reduplicative, quatenus afficitur modo sacramentali, ut patet ex verbis subjunctis: « Non tamen potest videre modum ipsum, quo est sub sacramento; » ergo corpus sub illo modo visibile non est, quia non potest sub illo modo videri, nisi modus ipse attingatur, quia ergo Christus in cælo seipsum videt, et illemet oculus ponitur in sacramento cum visione quam habet, ideo dicitur Christus in sacramento seipsum videre: non tamen prout in sacramento reduplicative, sed seipsum absolute. Unde sic est construenda littera, quod oculus Christi sub sacramento videt seipsum existentem, non tamen existentem sub sacramento.

XVII. Quod si instes: Ergo hoc modo etiam alii oculi gloriosi (verbi gratia Beatæ Virginis) videbunt Christum, non prout in sacramento reduplicative, sed materialiter et specificative; et sic non est differentia inter alios oculos gloriosos, et oculos Christi

XVIII. Respondetur differentiam inter oculum Christi et alios oculos gloriosos non esse ex parte objecti visibilis, quatenus subest modo sacramentali (sic enim nullus oculus videt ipsum) sed ex parte subjecti videntis, quia oculus Christi continetur sub sacramento, retinendo visionem sui, quam habet in cælo; et ita in sacramento videt seipsum, licet non prout in sacramento: alii vero oculi gloriosi, neque in sacramento ipsum vident, quia non continentur in sacramento, nec prout in sacramento existentem, quia sic non est objectum visibile.

XIX. Ad confirmationem respondetur, ibi loqui S. Thomam dubitative ex aliorum sententia, ut patet ex illa particula nisi forte per miraculum; in præsentem autem loquitur resolute, et ex propria sententia. Vel si sustinendum est, quod ibi etiam loquitur ex propria sententia respondetur, quod oculi gloriosi, tam Christi quam aliorum non vident ipsum nisi miraculose; subintellige, nisi miraculose apparendo in hostia; et pro casu miraculosæ apparitionis verificatur dictum D. Thomæ; sed tali miraculo posito etiam ac oculo non glorioso potest videri, quod ibi non negat S. Thomas, licet expresse non affirmet, quia solum agit de oculo glorioso.

XX. Quarto inquires, an Angelus naturaliter, seu naturali lumine possit attingere præsentiam Christi in sacramento. Per lumen eam supernaturale, seu per revelationem, non est dubium, quod non solum

Angeli, sed etiam nos possumus illam præsentiam attingere hic per fidem, et in cælo per visionem. Respondetur negative; quæ est sententia S. Thomæ hic quæst. lxxvi, art. vii, ubi inquit: « Quod nec etiam intellectus angelicus secundum sua naturalia sufficit ad hoc intuendum. » Aliqui tamen auctores oppositum tenent, pro qua sententia refertur Scotus in iv, dist. x, quæst. viii, Major et Ocham, Gabriel et alii. Et fundamentum esse potest, quia ille modus, quem habet corpus Christi, non est aliquid supernaturale quoad substantiam, sicut gratia et charitas, cum sit quid corporeum, utpote receptum in corpore Christi, neque est quid morale, sicut cogitatio cordis: ergo non est cur non possit aliquo lumine naturali (saltem angelico) attingi.

XXI. Nec obstat, quod ille modus fit virtute supernaturali; nam etiam mortuus suscitatur virtute divina, et duo corpora per miraculum penetrantur, et dotes gloriosæ dantur corpori virtute supernaturali; et tamen isti effectus naturaliter videntur ab Angelo; ergo etiam ille modus, licet supernaturaliter fiat. Et urgetur in ipsa anima Christi, quæ in hoc sacramento non induit modum indivisibilem, quem ipsa de se non habeat, si quidem spiritualis est: ergo saltem anima Christi, prout in sacramento, videtur ab Angelo; illa autem est unita corpori: ergo videt corpus ut terminum illius. Possunt etiam accumulari et alia argumenta, quæ fiunt circa humanitatem Christi, an videatur ab Angelo ut subsistens subsistentia in creata: sic in præsentem Angelus videt corpus Christi, ejusque quantitatem, et non videt modum extensionis ad locum, quo caret: ergo videt illum modum indivisibilem quem habet: similiter videt absentiam panis, et accidentia non inhæren-

tia; ergo videt illa esse per se sine subjecto; ergo etiam videre potest quod loco panis ibi contineatur.

XXII. Nihilominus dicendum est, modum illum sacramentalem in se directe videri non posse ab Angelo naturali lumine; si vero aliquos effectus naturales habet circa operationem vel passionem corporis Christi, videbitur ex parte effectuum, non in se: sicut dici solet in materia incarnationis de subsistentia in creata, et unione hypostatica humanitatis. Ratio est, quia præsentia illa sacramentalis nulli rei naturali est debita, neque connexionem cum illa habet; ergo neque habet speciem naturalem repræsentativam sui, neque lumini naturali proportionata est. Consequentia patet, quia lumen naturale Angeli non se extendit nisi ad res naturales, quæ connexionem habent cum hoc universo, alias si ultra istud universum naturaliter potest Angelus cognoscere, naturaliter debentur illi species rerum possibilium, quæ latent in omnipotentia Dei; neque erit major ratio cur istarum rerum, et non aliarum species habeat. Antecedens vero probatur, quia omnis connectio cum aliqua re, solum in tribus fundari potest; vel quia est debitum alicui rei naturali, vel quia habet aliquas naturales causas, vel quia aliquos naturales effectus, in quibus communicat cum rebus naturalibus; sicut homo qui resurgit, vel visus qui datur cæco, licet per causas supernaturales fiat, tamen in se aliquid naturale est, et effectus naturales sortitur: sicut etiam claritas, et agilitas corporis gloriosi supernaturaliter datæ. Præsentia autem sacramentalis non debetur alicui corpori, quin potius ipsi modo extensionis quantitativo et connaturali contrarius est. Neque fit per causas naturales, quia a solo Deo potest produci supra omnem natu-